



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 18. De Cœna Bethaniæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

parum; si nihil, minimum eis condoleamus, & bonam voluntatem illis declarem, atque etiam orationibus & bonis verbis consolemur eos, quos deprehendimus aliqua necessitate vel arumna affligi; & tunc de nobis dici poterit, quod Christus dixit de Zachaeo. *Hodie domui huic salus facta est.*



MEDITATIO XVIII. DE COENA BETHANIAE.

PUNCTA MEDITATIONIS.

- Mat. 26 I. Cœnabat Christus in domo Simonis
Mar. 14. leprosi, & pariter Lazarus.
Ioan. 12. II. Effudit Maria unguentum super caput eius.
III. Obmurmurat Iudas, Christus vero approbat.*

PROPHEZIA.

- Cant. I. DVM esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.*

DOCUMENTA.

- I.** **S**imon in cuius domo Christus cœnavit, vocatus est leprosus, non quod tunc esset leprosus, sed quia prius fuerat, antequam à Christo sanaretur. Vnde discimus, etiamsi gratia Christi ab omnibus peccatis expurgati sumus, retinere tamen eorum memoriam, &

vocare nos semper peccatores, vt doleamus de illis non secus quam si actu adhuc illis obnoxii essemus.

2. Lazarus resuscitatus assidebat mensæ cum Christo: sic peccator, postquam per Christum fuerit à peccati morte reuocatus ad vitam iustitiæ, meretur in Angelorum suorum aliorumque iustorum societate eius mensæ assidere, donisque suæ cœlestis gratiæ refici & cibari.

3. Maria unxit caput & pedes Domini unguento pretioso. Quo indicatur Deo offerenda, quæ apud nos sunt pretiosissima, & similiter pauperibus, qui sunt pedes Christi, non esse dandas res deteriores & inutiles quæ nobis amplius non seruiunt, sed meliores, & quibus nos etiam vtimur.

4. Maria effuso unguento in Domini caput, fragrantia impleuit totam domum. Quemadmodum enim peccator factore prauis exempli iniuriam facit Christo, & inficit ac scandalizat reliquos fideles Ecclesiæ Dei, sic boni Christiani bonorum operum exemplo laudant Deum & edificant proximum, secundum illud Apostoli. *Christi bonus odor 2. Cor. 2. sumus in omni loco.*

5. Illi exemplo Magdalensæ unguento pretioso unguunt caput Christi, qui omnia opera sua faciunt & dirigunt pure ad honorem & gloriam Dei. Illi vero unguunt Christi pedes, qui insistentes eius vestigijs sanctam eius vitam imitantur. Illi quoque unguunt caput Christi, qui se in diuini seruitij operibus exercent; pedes vero, qui opera quædam faciunt in auxilium & vtilitatem proximi.

6. Quidam discipuli murmurarunt contra Magdalenam, quasi temerè profudisset un-

quentum tam nobile. Bona opera semper solent esse calumnijs & criminationibus obnoxia: atque etiam aliquando pretextu alicuius boni, vel quasi ex bono zelo, sed non secundum scientiam, arroduntur: verum non ideo debent aut timere, aut deterreri à cepto seruitij Dei, quin pergant facere, quod iudicant ad gloriam Dei, & animarum salutem debere fieri. Possuntque consolari se Domini sui exemplo qui similia crebrius passus est, atque etiam sententia Apostoli: non posse nos simul placere Deo, & hominibus: & certè si velimus niti sermonibus vel opinionibus hominum, serui Dei neutiquam effemus.

Gal. 1.

7. Discipuli, cum dicerent sua opinione videri sibi melius, si pretium unguenti, quo à Magdalena unctum est caput cum pedibus Christi, datum fuisset pauperibus, ab ipso Christo sunt reprehensi, & factum Magdalene commendatum: Quanquam alibi sapius laudat misericordiam in pauperes. Vnde docemur, sicut reprehensione digni non sunt, qui suas facultates expendunt in pauperes, ita neque ea dignos esse, sed laude potius, qui eas consumunt in fabricandis ornandisque Ecclesijs, fundandisque monasterijs ad ampliorem diuini nominis cultum & gloriam; vtrumque enim opus sanctum & Domino Deo nostro gratum est.

8. Verbis illis, *Pauperes semper habebitis vobiscum*, Christus indicare voluit hominibus diuitibus, quanta familiaritate uti debeant cum pauperibus; pauperes enim precipue propter diuites facti sunt, ut hi communicando illis ex superuacaneis opibus necessaria, salutem quoque æternam merito beneficentiæ consequantur.

MEDI-